

803 I

266. 7. 11

De in integrum restitutione.

THESES IURIDICÆ.

Q V A S

DEO OPT. MAX. ANNVENTE.

AUTHORITA-
TE, CONSENSV, ET AP-
PROBATIONE NOBILIVM, CLA-
RISSIMORVM, CONSULTISSIMO-
rumq;, Amplissimi Iuris Collegii in alma & flo-
rentissima Archiducali Friburgensium
Academia, Dominorum An-
tecessorum,

SVB PRAESIDIO,


NOBILIS, CLARISSIMI,
CONSULTISSIMIq; VIRI, Dn. FRIDE-
rici Martini, I. V. D. Canonum Professoris ordina-
rii, S. Casarei Palatii Comitit: necnon predicti Col-
legii Iuris pro tempore Decani spectatissimi;
exercitii causa ad disputandum publice
proponet. Ad diem 7. Novemb.

MICHAEL DEYRINGER BAVBENHVSANVS
Sucus.

FRIBV RGI BRISGOIAE,

Excudebat MARTINVS BÖCKLERVS.

Anno M. DC. III.





ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO VRBANO, CELEBERRIMI Boiorum Monasterii, Baumburgensis Præposito, & Archidiacono dignissimo, Domino Auunculo suo. perpetua obseruantia colendissimo,

NEC NON EIVSDEM COENOBII REVERENDIS, PIETATE, MORUMq; integritate conspicuis iuxta & Religiosissimis Dominis, Decano, caterisq; Conuentalibus, Dominis suis plurimum colendis.

REVERENDO ITEM IN CHRISTO PATRI ET DOMINO Christophoro Deyringer in Engelsberg Parrocho vigilantissimo, Domino fratri suo germano & perquam amando. In gratissimi animi symbolum, hæc de integritate restitutione theses inscribit, dedicat & offert,

VV. RR. DD.

addictissimus



Michael Deyringer LL.
Studiosum.

The



THESIS I.

RESTITVERE (vt à vocis significatione exordium capiamus) aliquando est aliquid reddere. (a) Aliquando verò in pristinum statum reponere. (b) Nos in præsentis disputatione de restitutione in posteriori significatione agemus,

(a) *l. restituere. ff. de verb. signif. l. præterea. l. qui restituere. ff. de rei vind.* (b) *d. l. restituere. l. 2. §. Hoc interdictum. ff. ne quid in loco pub.*

II.

In integrum restitutio est prioris status vel iuris reintegratio. (a) Quæ definitio generalis est omnibus restitutionum speciebus congruens.

(a) *l. 1. & tot. tit. C. de sent. pass. l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor.*

III.

Restitutio iam definita diuiditur in eam quæ fit ex gratia. (a) Et eam quæ fit ex iustitia seu æquitate. (b) Illa est, qua Princeps ad preces ex clementia & misericordia alicui subuenit: Hæc est cum ex iustitia vel æquitate in pristinum statum quis reponitur.

(a) *l. 1. & tot. tit. C. de his qui ven. at. impe.* (b) *l. 1. 2. & 3. ff. h. t. Lud. Mol. disp. 573. & l. 1. ff. de minor. C. narr. l. 1. var. resol. c. 3. n. 15.*

IV.

Restitutio ex iustitia seu æquitate rursus bipartita est: Alia civilis, alia prætoria. Civilis est quæ ex

A 2

Prin-

Principum constitutionibus descendit, Prætoria dicitur, quæ ex iure prætorio ortum habet.

V.

Estq; iterum duplex. Quædam quæ iure actionis petitur, ut est restitutio qua is, qui dolo aut metu inductus contraxit, aduersus contractum dolo aut metu initum, restituitur. (a) Quædam verò quæ officio iudicis exercetur. (b)

(a) *l. metum. §. Pomponius scribit, & §. volenti. ff. quod met. caus.* (b) *d. l. metum. §. ex hoc edicto.*

VI.

Eaque iterum duplex. Vna quæ maioribus viginti quinque annis: (a) Altera quæ minoribus datur. (b) Et de hac in præfenti disputatione nobis sermo est futurus.

(a) *tot. tit. ff. & C. quib. caus. maior.* (b) *tit. ff. & C. de restit. minor. 25. ann.*

VII.

Potestque definiri, quod sit remedium extraordinarium, quo minor læsus in contractu vel quasi in pristinum statum & ius ex æquitate reponitur: Aut alii instar illius quibus id iure concessum reperitur. Ita Lud. Molin. *disp. 573.*

VIII.

Dicitur extraordinarium, quia contra communes iuris regulas indulgetur (a) quo differt ab appellatione & supplicatione quæ ordinaria censentur iuris remedia. (b)

(a) *l. in honorariis. circa fin. ff. de oblig. & act. l. in causa. 2. in princ. ff. de minor. l. quod si minor. §. vlt. eod.* (b) *Hostiens. in sua summa b. & est text. in l. 1. C. si sap. in integ. rest. poss.*

Estq;

IX.

Estque hoc restitutionis beneficium mixtum. (a) Datur enim personæ propter læsionem, ideoque ad hæredes transit; (b)

(a) *Mynsing. obs. 28. & 19. cent. 4.* (b) *l. 2. & 4. C. de temp. in integ. restit. l. non solum. ff. eod. l. interdum. ff. de minor.*

X.

Ad fideiussorem tamen & socium non porrigitur: (a) Quo fit quod restituto minore fideiussor maneat obligatus, sicut & socius. (b) Idque vsque adeo verum est, quod fideiussor soluens nullam, aduersus minorem habeat actionem.

(a) *l. vnic. C. si in com. ead. caus.* (b) *l. in causæ 1. ff. de minor. l. 2. C. de fideiussor. minor.*

XI.

Minorem autem natu accipimus qui nondum annum vigesimum quintum perfectè & omnimodè impleuit, vsque adeo, quod à momento in momentum tempus numeretur, adè ut si postremo die, aut vltima hora, quæ ad complementum vigesimi quinti anni deest; captus sit, restitutioni locus relinquatur.

Hostiens. & Azo in suis summis, & est textus in l. 3. §. minorem. ff. de minor.

XII.

Nec refert per se vel per parentem, tutorem, curatorem, cum iudicis decreto, vel sine eius authoritate contractum vel quasi celebrauerit.

l. 1. & seqq. ff. b. t. l. 1. & seqq. ff. de minor. l. eo tempore. l. curatorem habens. C. de in integ. restit. minor. l. etiam si. pare. in princ. ff. de minor. c. constitutus de in integ. restit.

XIII.

Seruis tamen & minoribus alieno nomine, puta procuratorio, aut institorio & negotiantibus hoc beneficio non succurritur, cum eo modo maioribus potius confuleretur.

Vvesenb. tit. ff. de minor. facit text. in l. non minus. ff. de hered. instit. l. cum mandato ff. de minor.

XIV.

Denegatur minori hoc beneficium si iuramento contractum confirmauerit. (a) Aut maior factus contractum ratum habuerit. (b) Aut ætatis beneficium impetrauerit. (c) Aut se maiorem mentitus fuerit. (d)

(a) *And. Gail. obs. lib. 2. obs. 41. n. 2. Dd. in auth. sacramenta puberum. C. si aduers. vend. l. si quis maior. C. de trans. (b) tit. C. si maior factus. (c) l. 1. C. de his qui ven. atatis. (d) tot. tit. C. si minor se maior. dixerit.*

XV.

Minor in integrum restitutionem petens duo necessario probare debet: Vnum se esse læsum: Alterum se tempore læsionis in minori ætate fuisse constitutum.

c. constitutus x. h. t. l. ait prator. §. non solum. l. verum. §. sciendum. ff. de minor. Hostiens. in sua summa.

XVI.

Et quidem ætatis imbecillitate aut aduersarii dolo minorem in ipso contractus vel quasi principio, non casu & euentu, seu vt loquuntur, ex post facto, circumscriptum fuisse est necesse. *l. verum. §. sciendum. & §. si locupletis. l. non omnia. ff. de minor. Hostiens. in sua summa, h. t.*

Hinc

XVII.

Hinc est, si contractus à minore vtiliter celebratus sit, eo modo, quo quis homo prudens cum iniret, quod restitutio denegetur, quamuis ex post facto lædatur: Puta equus emptus moriatur, seruus comparatus fugiat, domus hæreditaria, adira hæreditate pingui incendio pereat. *l. verum. §. sciendum. & §. Marcellus. ff. de minor.*

XVIII.

Si dubium sit num intra tempus minoris ætatis contractus sit celebratus, petens restitutionem, se tempore contractus minorem fuisse probare debet: Sin vero sit an quadriennium, intra quod restitutio est petenda, transierit, aduersario temporis præteritæ probatio incumbit. *Ita sentit Mynsing. cent. 4. obs. 19. Molina disp. 573. facit text. in l. minorem iuncta. gloss. ibi. C. de in integ. rest.*

XIX.

Cæterum tum demum aduersus contractum vel quasi restitutio conceditur, si iure subsistat: secus si ipso iure sit nullus, hoc enim casu aduersus id, quod ipso iure nullum est, non opus est restituere. *l. 3. C. de in integ. restit. l. 2. C. de prad. minor.*

XX.

Nec refert, sitne minor læsus in damno emergente, aut in lucro cessante, nam utroque casu remedium restitutionis locum habet.

l. ait prator. §. vlt. cum l. seq. l. non omnia. ff. de minor. l. quamuis. C. de iuris & fact. ignor. gloss. in verb. restituimus. in c. auditis. de in integ. rest. Tiraquellus lib. 1. de retract. §. 35. gl. 2. num. 9.

XXI.

Et tamen qui ex damno accepto quam lucro amisso

amisso plenius succurritur: Nam priori casu siue res sit integra, siue non: Posteriori vero si res sit integra læso succurritur. *l. quod si minor. §. Scauola ff. de minor. Ita Molin. d. loco. & Couarr. var. resol. lib. 1. c. 5. n. 2.*

XXII.

Hinc est quod minor restituatur non solum si damnosam hæreditatem adiuerit, sed etiam si lucrosam repudiarit. (a) Aut commodum & fructuosum legatum omiserit. (b)

(a) *l. ait prator. §. non solum. l. et si sine. §. restitu- tus. l. quod si minor. §. Scauola. ff. de minor. l. 1. cum ibi subiuncta aut b. C. si minor. ab hered.* (b) *l. & si sine. in princ. ff. de minor.*

XXIII.

Ex eodem fonte fluit, si minor electionis ius habens, ex consilii imbecillitate rem minus utilem optet, quod restitutionis beneficio gaudeat. Vnde consuetudine ex ante ut in paterna hæreditate maior natu faciat diuisionem, minor autem habeat electionem, si in re electa minor fuerit læsus, restitutionis remedio læsioni mederi potest. *Ita Lud. Molina. d. disp. 573. & facit textus in d. l. & si sine. in princ. ff. de minor.*

XXIV.

Quid autem si ex fortis missione minor damnū acceperit? Et non restituendum asserimus, quia non ipso pacto vel contractu, sed ex post facto contingit offensio. *Lud. Molina d. loco.*

XXV

Quemadmodum nec restituendum esse minorem asserimus, si res congruo tempore ac loco, seruatissolennitatibus requisitis, iusto pretio vendita fuit aut locata, qualiter quiuis prudens maior ætate eam vendidisset aut locasset si sua esset, etsi alius superueniens plus offerat, *Ita Mol. disp. pen. & vlt. circa fin.*

XXVI.

Porro enormis non modica debet esse læsio ob quam restitutio in integrum est facienda, nam propter minimam summam audiendus non est, qui contra ius ciuile petit in integrum restitui, vt maiori rei vel summæ præiudicetur. *l. 4. ff. b. 1. Panor. in cap. 1 de in integ. restit. n. 8. & Couarr. var. resol. c. 3. n. 11.*

XXVII.

Quæ autem sit enormis & quæ modica læsio Religionis iudicantis, committendum esse astruit Menochius *de arbit. iud. casu 77. Couarr. d. l.*

XXVIII.

Amplius ex contractu vel quasi damnus esse datum requiritur: Nam vt aduersus delictam commissum minor restituatur nulla æquitatis ratio patitur, licet ætatis ratione pœna mitigari possit soleatq;. *l. auxilium. l. si ex causa iudicati. §. nunc videndum. ff. de minor. l. ferè in omnibus. ff. de R. 1. tit. C. si aduers. delict.*

XXIX.

Hinc est quod aduersus venditionem, donationem, transactionem, diuisionem, solutionem, dotem, creditorem, vtucapionem, sententiam, hæreditatem, vel aditam, vel omissam minor restituatur.

l. vlt. C. si aduers. vend. & l. 1. si aduers. vend. pign. tit. C. si aduers. donat. Lud. Molina disp. 553. l. non solum. ff. de prad. minor. l. 1. C. si aduers. trans. tit. C. si aduers. solut. & c.

XXX.

Quæ hætenus dicta sunt, procedunt, si ex contractu vel quasi, quem ipse minor celebrauit, læsio procedat: secus si minoris antecessor & auctor cui ipse ceu hæres successit, sit læsus in contractu vel quasi

B nam

nam hoc casu beneficium restitutionis cessat *l. AEmilius. ff. de minor. Azo in sua summa tit. Cod. si aduers. vendit.*

XXXI.

Habetq; hoc restitutionis beneficium non solum minor, sed etiam maior intra quadriennium ab ingressu iustę ætatis, hoc est anni vigesimi quinti computandum. (a) Quod quidem quadriennium ab initio vtile est, non continuum. (b)

(a) *l. in contractibus. & tot. tit. ff. & C. ex quib. caus. maior.* (b) *l. supernacuum. C. de temp. in integ. restit.*

XXXII.

Succurritur autem minori aduersus omnes quibus cum contractum est vel quasi, etiam aduersus fiscum. (a) Et contra minorem, nisi minor aduersus quem restitutio petitur de damno vitando certet.

(a) *tit. C. si aduers. fiscum.* (b) *l. verum. §. item quæritur. ff. de minor. l. si minor. in princ. eod.*

XXXIII.

Hinc est si ambo minores sint capti v. g. minor minori pecuniam dedit quam perdidit, quod melior sit causa eius qui pecuniam accepit, eamq; vel dilapidauit, vel perdidit. *d. l. verum. §. vlt. & d. l. si minor. ff. de minor.*

XXXIV.

Quod si minor minori succedat beneficio restitutionis locus est non solum quoad tempus quod defuncto competeat, sed etiam toto tempore quo successor in minori est ætate: Quo fit quod minori successor non currant tempora restitutionis in integrum, priusquam antecessoris minoris tempora fuerint exacta.

lin.

l. interdum. ff. de minor. Azo in sua summa. tit. C. si aduers. vsu cap. l. 1. 2. 3. 4. C. de tempor. in integ. restit. Ludou. Molin. disp. 573.

XXXV.

Aduersus hæredem quoque eius cum quo negotium est gestum, & hæredibus illius cui id beneficium competeat, hoc remedium datur, ad eò vt illud intra totum tempus impetrare queant, quo ille, cuius hæredes existunt, si vixisset, petere potuisset.

l. non solum. ff. de in integ. restit. l. minor autem magistratus. §. vlt. ff. de minor. l. 1. 2. 3. 4. ac per totum. C. de temp. in integ. restit.

XXXVI.

Porro tertio possessori aduersus quem minor in priorem statum est repositus, contra actorem à quo rem accepit, datur regressio, & de euctione actio, et si per plures manus emptio ambulauerit. *l. sed ubi ff. de minor. Couar. var. resol. l. 1. c. 5. v. 7. Lud. Molina disp. 573. vers. utrum autem.*

XXXVII.

Amplius quoque aduersus præscriptionem non solum decem & viginti, sed etiam triginta & quadraginta annorum minori hoc restitutionis beneficio subuenitur. *gl. Bart. & Dd. in auth. quas actiones. C. de Sacrosanct. Eccles. in verb. excludantur. Decius consil. 29. colum. 2.*

XXXVIII.

Cæterum quod supra dictum est minorem reintegrari, et si tutoris auctoritate interueniente læsio contigerit, Id distinctionis temperamentum admittit: Nam si sine tutoris culpa circumscriptio contingat, sola restitutione minori succurritur. (a) Sin autem culpa tutoris detur damnum liberum est minori,

vel contra tutorem ad interesse agere, vel in integrum restitutionem petere. Nec una via electa altera intercluditur.

(a) *l. tutor vrgentibus. ff. de minor. l. etiam in his. & l. vltim. C. si tutor vel curat. inter. l. intra vtile. §. 1. ff. de minor.*

XXXIX.

Aliud obtinet si per procuratorem suum minor lædatur: Nam hoc casu si procurator sit soluendo ad interesse agitur: Sin minus in subsidium restitutio postulatur. (a)

(a) *l. cum mandatu ff. de minor. Lud. Molina: saped. disp. 573.*

XL.

Minorum priuilegio gaudet Ecclesia, quæ læsa iure minoris in integrum restituitur, eaque restitutio intra quadriennium à tempore læsionis acceptæ numeranda est, nisi admodum enormis sit læsio, nam hoc casu etiam post quadriennium ex iusta causa Ecclesiæ consulitur.

Panor. in c. 1. de in integ. rest. n. 9. Lud. Molin. d. loco & disp. 350. in fin. Couar. lib. 1. var. resol. c. 3. n. 10.

XLI.

Quod de Ecclesiis dicimus idem ad hospitalia, confraternitates, miserabiles personas, pauperes, & alia pia loca extendendum censemus.

Panor. c. 1. de in integ. restit. Marant. d. ord. iud. p. 6. c. secundus actus. n. 85.

XLII.

Conceditur autem Ecclesiæ restitutio si ipsa in iure suo rebusque suis sit circumuenta: Secus si personæ Ecclesiasticæ in his quæ sibi ex Ecclesia aut ex sua digni-

dignitate Ecclesiastica obueniunt, lædantur, *Ita Couar. var. resol. lib. 1. c. 3. n. 2. & Lud. Mol. disp. 574.*

XLIII.

Vnde si capitulum alicuius ecclesiæ in iuribus aut bonis capituli quæ cedunt capitulo, vt capitulo legdatur, restitutioni est locus. Si vero damnum sentiat ex rebus inter singulos distribuendis, restitutio cessat. *Ita sentit Marant. de ord. iud. part. 6. cap. secundus actus. n. 85. Panor. in c. 1. de in integ. restit. n. 15.*

XLIV.

Eodem modo si beneficiatus agat de iure beneficii quatenus pertinet ad talem ecclesiam, atque ecclesia ipsa offendatur, restitutio vim habet: Sin vero priuatus cum priuato de iure beneficii contendens damnum sentiat, restitutio cessat per iura allegata.

XLV.

Amplius Respublica, princeps, vniuersitas, si per contractum vel quasi aut præscriptionem lædantur quoad restitutionem iure minoris gaudent.

l. Respublica. C. quib. ex caus. maior. l. rempublicam. C. de iure reipub.

XLVI.

De prodigo & furioso dubitatur, num iure minorum quoad præscriptionem gaudeant. Nos si curatoribus careant restitutione opus non esse: Sin vero curatores habeant, iure minorum eos gaudere asserimus.

XLVII.

Quæritur quoque num iuris Doctor minor 25. annis in contractu vel quasi læsus beneficio restitutionis gaudeat: Nos quidquid glossa & Dd. communiter dicant, gaudere cum Sphortia *l. part. quest. 3. art. 7. asserimus.*

XLXIII.

Porro in integrum restitutionem coram iudice eius, contra quem petitur, postulandam, adeoque petentem actoris, eum vero contra quem postuletur, Rei vicem sustinere iuris est manifesti. *textus hac de re est in l. 2. C. ubi & apud quem. & ibi Bald. & Castrens. Ludou. Molin. disp. 573. vers. interrogabis vero.*

XLIX.

Quod & in clerico qui à laico circumscriptus est, procedit, nam etiam hoc casu clericus læsus coram laici iudice de læsione conquiri debet.

Couar. var. resol. cap. 4. num. 3. cum ibid. fuse alleg.

L.

Diuersum obtinet si ecclesia à laico circumuenta sit, nam iudicis ecclesiastici officium pro restitutione implorare potest, per iura alleg.

LI.

Etsi autem coram prætore petebatur olim (a) hodie tamen à quolibet iudice non solum ordinario, sed etiam ad vniuersas causas delegato peti posse in integrum restitutionem, clari iuris est. (b)

(a) *tot. titul. ff. & l. 1. & 2. C. ubi & apud quem.*

(b) *Hostiens. & Azo in suis summis, & est textus in l. cum scimus. d. t. C. ubi & apud quem. ca. causa restitutionis. h. t.*

LII.

Quod nonnulli assunt iudices ordinarios qui certum territorium non habent, ut sunt Academia- rum Rectores in integrum restituere læsos non posse, id falsum centemus. *Panor. c. 1. de in integ. restit. n. 14. & 15. Bart. & alii quos referunt & sequuntur Greg. Lopez. in l. vl. tit. 19. part. 6. & Marant. de ord. iud. part. 6. cap. secundus actus. n. 85. & 87.*

Ad

LIII.

Ad postulandam pro alio in integrum restitutionem sine mandato speciali nullus admittitur. *l. illud in fin. ff. de minor. c. qui ad agendum. de procurat. in 6. c. coram. de in integ. restit.*

LIV.

Idque vsque adeo verum est; quod nec consanguinei, nec litis consors absque tali mandato speciali ad restitutionem postulandam admittatur. *Ita Couar. var. resol. c. 6. n. 1 & 3.*

LV.

Excipitur tutor, curator, œconomus, prælatus, & cæteri habentes administrationem alieni patrimonii, illi siquidem absque speciali mandato iudicis officium pro restitutione impetranda implorare possunt, quoniam id ex proprio munere ipsis incumbit. *Ita Innocentius, Abbas & alii communiter in c. suscitata n. 6. de in integ. restit. arg. l. si actor. C. de appellat.*

LVI.

Eadem ratione habens mandatum cum libera administratione, restitutionem petere potest. (a) Speciale etenim mandatum & generale cum libera administratione tam in contractibus quam in iudiciis æqualem vim habet, teste Bald. in l. & nocere 2. notab. ff. de pactis.

(a) *d. c. ad agendum. de procurat. in 6. l. transact. C. de transact. l. procurator cui generaliter. ff. de procurat. Bald. in l. illud. ff. de minor.*

LVII.

Restitutio (ut de effectibus aliquid dicamus) ita facienda est ut omnia in pristinum statum reintegrentur, tam pro minore quam contra eum. *l. vnic. C. de re pub. l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor. l. ab hostibus.*

bus. §. sed quod simpliciter. ubi Bartol. ff. ex quib. caus. maior.

LVIII.

Verum autem cum fructibus restitutio vltro citroque sit facienda quaestio est? Aliens pars ill. ciuilibus est definita. (a) Negantem partem defendit Lud. Molina. Nos Molinam in puncto iuris & iustitiae errare disputando manifestum faciemus.

(a) *l. quod si minor. §. restitutionis ff. de minor. l. verum. §. i. l. patri. §. si pecuniam. ff. eod. Couar. lib. 1. var. resol. nu. 1.*

LIX.

Quando plures, quorum vnus maior, alter minor, eandem causam habent communem, minoris restitutio an maiori proffit quaestio est? In qua, num res sit diuidua, vel indiuidua distinguitur: vt si diuidua sit, vnus restitutio alteri non proffit. Sin indiuidua, commodo fit. Nos distinctione admitta posteriorius membrum vniuersè verum non esse, cum Molina defendemus.

EX.

Verum vtrum, & quibus casibus contra minorem praescriptio currat, ambigitur? Nos in rebus immobilibus contra minorem neque trium, neque 10. neque 20. annorum praescriptionem incipere posse asserimus, quod si ab antecessore incepta fuerit in minori quidem completur sed restitutionis beneficio cassatur. Ita *Azo in sua summa. & est text. in l. si fundum. ff. de fundo dotali. l. si intra. C. de non num. pec. l. etiam ei. ff. de minor.*

LXI.

De restitutione aduersus 30. ann. praescriptionem num ea contra minorem currat; quaeritur? Nos quaestionem

stionem hanc otiosam & nullius utilitatis esse disputando patefaciemus.

~~~~~


P A R E R G O N,

I.

**R**emedium retorsionis iure natura & humano permissum esse asserimus.

II.

*Prouocatus si aggressorem occidat non tenetur, nec vt homicida potest puniri, sed plene absolui debet; dummodo modum inculpatae tutelae non excedat.*



ODE EXTEMPORALIS

**AD VIRTUTE, ERVDI-  
TIONE, MORVMq; ELEGANTIA PRAE-  
stantem Dn. Micahalem Deuringerum Babenhusanum  
harum thesium propugnatorem perstrenuum, consoda-  
lem, & superiori tempore conuictorem suum longè  
amantissimum; metro serpentino & ad  
iuncto anagrammate.**

OBLATA

A

**GEORGIO RAY SIGMARINGENSI,  
D. Sophiae Alumno.  
MICHAEL DEVRINGER BABENHVSANVS.**

ANAGRAMMA.

**En hic verè dignus Hyblâ manebis,**

G

Victor



ictor abibis ouans: restat certamen adire,  
 Sis praestans animo, Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans, validas nunc exere vires,  
 Comminus hostis adest: Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans, clypeoq; instructus & arte,  
 Opponas te hosti, Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans: sic Marte inuante sophistas,  
 Verbosus sternens, Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans: verè hic en macte manebis,  
 Sic Hyblâ dignus. Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans: optato mente triumpho.  
 Alta trophaea ferens Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans, iuribus pergere labores,  
 Pergas inceptos, Victor abibis ouans.  
 Victor abibis ouans: Domino stet gloria soli,  
 Qui tenet astra poli: Victor abibis ouans.

~~~~~

I D E M E I D E M.

Non migraret amans lucri mereator ad Indos:
 Nec mare fulcaret puppe tremente ferox.
 Præmia nî tandem speraret larga laboris,
 Quæis locupletaret seq; suosq; domi.
 Intrepidus miles toties nec sumeret arma,
 Nî prædam posset conciliare sibi,
 Utq; redux miles superato victor ab hoste,
 Ornatur lauro & nomine honorifico;
 Sic tu Tespiadum miles tentoria sacra,
 Sectans perstrenuè, præmia digna feres.
 Hercule namque vocas rigidos animosior hostes,
 Nec dubitas Marti mittere te dubio,